



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 4. Quid de Pane ex silagine confecto?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

*De Sacram. Euchar. Cap. II.* 131

Resp. Definitum est, solum verum Panem triticeum & vinum de vite esse materiam remotam hujus Sacramentū, hoc est, materiam aptam ad ejus confectionem. Ita definitum fuit in multis Conciliis quæ referuntur in Canone: Concilium Carthaginense ubi dicitur;  
*In Sacramento Corporis & Sanguinis Domini Can. In Sa-*  
nihil amplius offeratur, quām ipse Dominus <sup>cramento De</sup>  
tradicidit, hoc est, *Panis & vinum aqua mix-*  
<sup>Consecr. diss.</sup>  
*tum.* Idem traditur ab Eugenio IV. in Decreto Armenorum ubi dicitur; *Materia Eucha-*  
*ristica & Panis triticeus & vinum de vite.*

Quod evidenter probatur auctoritate Scripturæ lacrae. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. unanimiter asseritur, Christum Dominum instituendo hoc Sacramentum usum fuisse vero Pane, & vero Vino, ac præcepisse Apostolis, ut similiter facerent: sed constat solum Panem triticeum, & solum vinum de vite, simpliciter & absolute dici Panem & Vinum; solus igitur Panis triticeus, & solum vinum de vite possunt esse materia Sacramenti Eucharistiae.

Quest. 3. Quænam permixtio alterius grani cum triticeo, impedit quominus hujusmodi Panis sit materia sufficiens ad conficiendum hoc Sacramentum?

Resp. Ex Divo Thoma: *Dicendum quod D. Tho. 3. p. medica permixtio non solvit speciem, quia, id q. 74. art. 3. quod est modicum, quodammodo absumitur à ad 3, plurimo.* Et ideo si sit medica permixtio alterius frumenti ad multò majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici Panis qui est materia hujus Sacramenti. Si vero sit magna permixtio, (puta, ex aquo vel quasi) talis permixtio speciem mutat: unde Panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti.

Quest. 4. Panis ex silagine confectus, est-ne

F vij

## 132 TRACTATUS IV.

materia sufficiens Sacramenti Eucharistiae?

*Resp.* Videtur quod cum si ligo sit species tritici quamvis minus perfecta, possit esse mate-

D. Tho. 3. p. 74. art. 3. ad 2<sup>o</sup> ria sufficiens hujus Sacramenti: *Si qua frumenta sunt*, ait Divus Thomas, *qua ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur filio)* ex tali frumento Panis confectus potest esse materia hujus Sacramenti: Convenit tamen venerationi tanto Sacramento debitae, ut purum triticum adhibeatur.

*Quæst.* 5. Est-ne necesse ad validatem hujus Sacramenti, ut Panis confectus sit cum aqua naturali, & igne coctus?

*Resp.* Absolutè requiritur: alias enim non esset Panis, qui est materia hujus Sacramenti: nam ut ait sanctus Cyprianus relatus in Canone: *Nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & Panis unius compage solidatum.* Quare dicit Glossa ibidem verbo: *Nisi utrumque: Quid si ex melle, vel alio liquore fuerit farina aspersa: numquid transubstantiatur ille Panis in Corpus Christi?* Non.

*Quæst.* 6. Quilibet Panis triticeus, sive sit Azimus, sive fermentatus, est-ne materia hujus Sacramenti?

*Resp.* Est materia sufficiens ad ejus validitatem, ut dicitur in Concilio Florentino in Decreto unionis Græcorum. Item in Azimo, sive fermentato Pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere: unumquemque scilicet juxta sua Ecclesia sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

*Non est de necessitate Sacramenti,* inquit Divus Thomas, *quod Panis sit Azimus vel*

Can. Sic in  
sanctificando.  
De Consecr.  
dist. 2,

D. Tho. 3. p.  
q. 74. art. 4.  
in corp.